

Quo dicto, et cum ante gradus majoris altaris pervenerint, ille ibidem in inferiori gradu altaris genuflectit. Pontifex vero ascendit ad altare, ubi stans versus ad introductum, deposita mitra, absolute dicit :

OREMUS.

MAJESTATEM tuam, quæsumus Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, qui non mortem peccatorum, sed pœniténtiam semper inquiris, réspice flentem fámulum tuum, atténde prostrátum, ejúsque plantum in gáudium tua miseratióne convérte; scinde delictórum saccum, et indue eum lætítia salutári; ut post longam peregrinatiónis famem, de sanetis Altáribus satiétur, ingressúsque cubículum Regis in ipsius aula benedicat nomen glóriæ tuæ semper. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.


OREMUS.

DEUS miséricors, Deus clemens, qui secúndum multitudinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, et præteritórum críminum culpas vénia tuæ miseratiónis evácuas, réspice propítius super hunc fámulum tuum, et remissiónem sibi ómnium peccatórum suórum tota cordis devotióne poscéntem, deprecátus exáudi; rénova in eo, piíssime Pater, quicquid terréna fragilitáte corrúptum, seu diabólica fraude violátum est, et unitáti córporis Ecclesiæ membrum perfécta remissióne restitue. Miserére, Dómine, gemítuum, miserére lacrymárum ejus, et non habéntem fidúciam, nisi in misericórdia tua, ad tuæ Sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Deinde Pontifex producit signum crucis super introductum, qui surgit, et discedit.

ORDO AD RECONCILIANDUM

APOSTATAM, SCHISMATICUM VEL HERETICUM.



PONTIFEX apostatam, schismaticum, vel hæreticum reconciliare volens, paratus amictu, stola, pluviali albo, et mitra simplici, sedet super faldistorium ante fores Ecclesiæ sibi paratum, coram quo genuflectit reconciliandus, quem interrogat Pontifex de fide, dicens :

CREDIS duódecim Artículos Fidei?
Ille respondet :
Credo.

Pontifex interrogat :
Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cœli, et terræ?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dóminum nostrum?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis quod concéptus est de Spiritu sancto, natus ex María Virgine?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis quod passus est sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, et sepúltus?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis quod descéndit ad inferos?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis quod tértia die resurréxit a mórtuis?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis, quod ascéndit ad cœlos, et sedet ad dexteram Dei Patris omnipoténtis?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis quod ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis in Spiritum sanctum?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis sanctam Ecclésiám Cathólicam, Sanctórum comuniómem?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis remissionem ómnium peccatórum?

Ille respondet :

Credo.

Pontifex interrogat :

Credis carnis resurrectionem et vitam ætérnam?

Ille respondet :

Credo.

Deinde Pontifex surgit cum mitra, et super illum genuflexum dicit absolute, incipiens :

EXORCIZO te, immúnde spíritus, per Deum Patrem omnipoténtem, et per Jesum Christum Filium ejus, et per Spiritum sanctum, ut recédas ab hoc fámulo Dei, quem Deus et Dóminus noster ab erróribus et perceptiõnibus tuis liberáre, et ad sanctam matrem Ecclésiám Cathólicam atque Apostólicam revocáre dignátur. Ipse tibi imperet, maledícte ac damnáte, qui pro salute hóminum passus, mórtuus, et sepúltus est, te atque omnes vires tuas superávit, ac resúrgens cœlos ascéndit, inde ventúrus judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

Tunc signat illum cum pollice dexteræ manus in fronte signo crucis, dicens :

ACCIPE signum crucis Christi, atque Christianitátis, quod prius accéptum non custodivisti, sed male decéptus abnegásti.

Deinde surgit ille, et Pontifex, retenta mitra, sinistra sua illum apprehendit per manum dexteram, dicens :

INGREDERE in Ecclesiam Dei, a qua incaute aberrasti; ac evasisse te laqueo mortis agnosce; horrésce idóla; respue omnem pravitatem, sive superstitionem hæreticam, vel gentilem, aut judaicam. Cole Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Christum Filium ejus, et Spiritum sanctum, unum, vivum, et verum Deum, sanctam, et individuam Trinitatem.

Tum introducit illum in Ecclesiam per manum, ut eum apprehendit, usque ad altare majus, coram quo in infimo gradu ille genuflectit. Pontifex vero ascendit ad medium altaris, ubi deposita mitra, stans versus ad illum, dicit absolute :

OMNIPOTENS sempiternè Deus, hanc ovem tuam de faucibus lupi tua virtute substractam, paterna récipe pietate, et gregi tuo refórma pia benignitate; ne de familie tuæ damno inimicus exúltet, sed de conversione et liberatione ejus, Ecclesia tua ut pia mater de filio reperto gratuletur. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

OREMUS.

DEUS, qui hóminem ad imáginem tuam cónditum misericórditer réparas, quem mirabiliter creásti; respice propítius super hunc fámulum tuum, ut quod hujus ignorántiæ cæcitate, hostili et diabólica fraude surreptum est, indulgéntia tuæ pietátis ignóscat, et absólvat; et altáribus sacris, recépta veritátis tuæ communióne, reddátur. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Deinde sedet ibidem Pontifex super faldistorio, et, accepta mitra, interrogat illum iterum de Fide Catholica, dicens :

Credis in Deum Patrem omnipotentem creatórem cœli, et terræ ?

Respondet ille :

Credo.

Interrogatio :

Credis et in Jesum Christum ejus Filium únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum ?

Respondet :

Credo.

Interrogatio :

Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communióne, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam post mortem ?

Respondet :

Credo.

Postea interrogat Pontifex :

Homo, abrenúntias sátanæ, et ángelis ejus ?

Respondet :

Abrenúntio.

Interrogatio :

Abrenúntias étiam omni sectæ gentilitátis, vel hæreticæ pravitátis, sive judaicæ superstitionis ?

Respondet :

Abrenúntio.

Interrogatio :

Vis esse, et vivere in unitate sanctæ Fidei Catholicæ ?

Respondet :

Volo.

Tunc, deposita mitra, surgit Pontifex, et reconciliatus accedit ad pedes ejus, coram eo genuflectens. Pontifex vero imponit manum dexteram super caput illius, dicens :

OREMUS.

DOMINE Deus omnipotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui dignátus es hunc fámulum tuum ab

erróre gentilitátis, *vel* mendácio hæréticæ pravitátis, *sive* judáicæ superstitiónis cleméner erúere, et ad Ecclésiám tuam sanctam revocáre; tu, Dómine, emitte in eum Spíritum sanctum paráclitum de cœlis. *R.* Amen.

Spíritum sapiéntiæ, et intelléctus. *R.* Amen.

Spíritum consilii, et fortitúdinis. *R.* Amen.

Spíritum sciéntiæ, et pietátis. *R.* Amen.

Adimple eum lúmine splendóris tui, et in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi signétur signo crucis in vitam ætérnam. *R.* Amen.

Post hæc, si reconciliatus sit is qui præcipuus et notabilis fautor schismatis extitit, genuflexus, ut supra, facit publicæ professionem, et abjurationem, Pontifice cum mitra in faldistorio ante altare sedente, dicens :

Ego *N.* compérto divisiónis láqueo quo tenébar, diútina mecum deliberatióne pertráctans, prona et spontánea voluntáte ad unitátem Sedis Apostólicæ, divina grátia duce, revérsus sum : ne véro non pura mente, seu simuláta revérsus existimer, spóndeo sub órdis mei casu, et anathématis obligatióne, atque promitto tibi, *tali* Episcopo, et per te sancto Petro Apostolorum principi, atque sanctíssimo in Christo Patri, et Dómino nostro, Dómino *N.* Papæ *N.* et successóribus suis, me numquam quorúmlibet suasió nibus, vel quocúmque álio modo, ad schisma, de quo Redemptóris nostri grátia liberánte eréptus sum, reversúrum, sed semper in unitáte Ecclésiæ Cathólicæ, et in communióne Románi Pontificis per ómnia permansúrum; unde jurans dico per Deum omnipoténtem, et sancta Dei Evangé lia, me in unitáte et communióne præmissis inconcússe mansúrum. Et si (quod absit) ab hac me unitáte áliqua occasi óne, vel arguménto divisero, perjúrii reátum incúrrens ætérnæ obligátus pœnæ invéniar, et cum auctóre schismatis hábeam in futúro sæculo porti ónem.

Deinde super librum Evangeliorum, quem Pontifex ante se tenet apertum, ponit ambas manus extensas, junctis digitis, dicens :

Sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangé lia.

Tum producto per Pontificem signo crucis super reconciliatum, surgit reconciliatus et discedit.

Si vero reconciliatus fuerat hæresiarcha, seu præcipuus auctor alicujus hæresis, ommissa promissione præcedente, facit sequentem, genuflexus coram Pontifice cum mitra in faldistorio ante altare sedente, dicens :

Ego *N.* cognóscens veram Cathólicam, et Apostólicam Fidem, anathematizo hic públice omnem hæresim, præcipue illam de qua háctenus éxtiti infamátus, quæ astrúere conátur *hoc, vel illud.* Conséntio autem sanctæ Románæ Ecclésiæ; et Apostólicæ Sedi ore et corde profiteor me crédere *sic, vel sic,* et eámdem Fidem tenére, quam sancta Romána Ecclésiá auctoritáte Evangélica et Apostólica tenéndam tradit. Jurans hoc per sanctam homóusion, id est, ejúsdem substántiæ Trinitátem; per sacrosáncta Evangé lia Christi; eos autem, qui contra Fidem hanc vénerint, cum dogmátibus et sectatóribus suis ætérno anathémate dignos esse pronúntio. Et si ego ipse (quod absit) aliquándo contra hæc áliquid assentiri, aut prædicáre præsumpsero, cánonum severitáti subjáceam.

Et mox ambas manus extensas, digitis non disjunctis, ponit super librum Evangeliorum, quem Pontifex ante se apertum tenet; dicens :

Sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangé lia.

Tum producto per Pontificem signo crucis super reconciliatum, surgit ipse reconciliatus, et discedit.

DE ITINERATIONE PRÆLATORUM.

PRÆLATUS incipiens iter agere, antequam equum ascendat, inchoat hanc Antiphonam :
In viam pacis.



Canticum Zacharie. Luca 1.

BENEDICTUS Dóminus Deus Israel, * quia visitávit et fecit redemptionem plebis suæ.
Et eréxit cornu salutis nobis, * in domo David púeri sui.
Sicut locútus est per os Sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum ejus.
Salútem ex inimicis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos.
Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.
Iusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis.

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * præibis enim ante faciém Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri : * in quibus visitávit nos óriens ex alto.

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndo pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

Deinde dicit totam Antiphonam, et alia sequentia :

In viam pacis et prosperitátis dirígat nos omnipotens et misericors Dóminus, et Angelus Ráphael comítetur nobiscum in via, ut cum pace, salúte, et gáudio revertámur ad própria.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, reliqua secreto, deinde dicit :

Ÿ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

Ŕ. Sed libera nos a malo.

Ÿ. Salvos fac servos tuos.

Ŕ. Deus meus sperántes in te.

Ÿ. Mitte nobis, Dómine, auxiliúm de sancto.

Ŕ. Et de Sion tuére nos.

Ÿ. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.

Ŕ. A faciém inimíci.

Ÿ. Nihil proficiat inimícus in nobis.

Ŕ. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis.

Ÿ. Benedictus Dóminus die quotidie.

Ŕ. Prósperum iter faciát nobis Deus salutárium nostrórum.

Ÿ. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis.

Ŕ. Et sémitas tuas édoce nos.

- V. Utinam dirigantur viæ nostræ.
 R. Ad custodiendas justificationes tuas.
 V. Erunt prava in directa.
 R. Et áspera in vias planas.
 V. Angelis suis Deus mandávit de te.
 R. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.
 V. Dómine, exáudi orationem meam.
 R. Et clamor meus ad te véniat.
 V. Dóminus vobiscum.
 R. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui filios Israel per maris médium sicco vestígio ducere fecisti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandisti; tribue nobis, quæsumus, iter próspere, tempúsque tranquillum; ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pèrgimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeámus.

DEUS, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti, quæsumus, ut nos fámulos tuos custodire digneris; esto nobis, Dómine, in procinctu suffragium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia, et frigore teguméntum, in lassitúdine vehiculum, in adversitate præsidium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut te duce quo téndimus, próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

ADESTO, quæsumus Dómine, supplicatióibus nostris, et viam famulórum tuórum in salutis tuæ prosperitate dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegámur auxilio.

PRÆSTA, quæsumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incédât, et beáti Joánnis præcursóris hortaménta sectándo, ad eum, quem prædixit, secúra

pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Tum dicit Pontifex :

V. Procedámus cum pace.

R. In nómine Dómini.

Et discedunt.

ORDO AD RECIPIENDUM

PROCESSIONALITER PRÆLATUM, VEL LEGATUM.

CUM Prælatu, vel Legatu, civitatem aliquam, vel oppidum insigne est ingressurus, processio Cleri ex more loci ordinata cum Cruce procedit illi obviam extra portam urbis, et cum Legatu, siye Prælatu,



advenerit, Prælati ejus loci indutus amictu, stola, pluviali, et mitra pretiosis, sive primam dignitatem habens, indutus superpelliceo, et pluviali pretioso, offert venienti crucem osculandam, quam Legatus seu Prælati ex equo, vel, si maluerit, descendens in terram super tapetem stratum genuflexus devote osculatur. Tum, si intrans est Episcopus, vel major, aut Presbyter vel Episcopus Cardinalis, Cantores incipiunt, et prosequuntur Antiphonam:

2 Toni.




Sa-cer-dos, et Pon - ti-fex, et vir-tu-tum
o - pi-fex, pastor bo-ne in po - pu-lo,
sic pla-cu-i - sti Do-mi-no.

Vel dicatur Responsorium.

8 Toni.



Ec-ce Sa-cer-dos ma-gnus, qui in di e - bus
su - is pla-cu-it De - o.



* I - de-o ju-re - ju - ran - do fe-cit il-lum
Do - mi - nus cre-sce-re in ple-
bem su - am. *γ.* Be - ne - di - cti-
o - - - - - nem o-mni-um gen-ti-um de - dit
il - li, et te - stamentum suum con - fir - ma-
vit su - - - - - per ca - put e - - - -
jus. * I - de-o. Glo - ri - a.
* I - de-o.

Si vero Legatus recipiendus sit Diaconus Cardinalis, cantatur Responsorium :

7 Toni.



Fi-de-lis nam - que, et pru-dens dispensa-tor



in ma-gni pa-tris-fa-mi-li-as do-mo con-



sti-tu-tus e - rat; * Ut con-ser-vis su-is




men-su-ram tri - ti-ci e - ro-ga - ret.



̄. Pro sa-lu - te, et augmen-to gre-gis



si-bi com-mis - si cu - ra per-vi - gi-li



sol-li - ci-tus e - rat. * Ut.

Si autem duo, vel plures reciperentur Legati, etiam si non essent Episcopi, vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona.

8 Toni.



Vos e - stis ci-ves San-cto-rum, et do-me-sti-ci



De-i, su-per-æ-di-fi-ca-ti su-pra fun-da-mentum



A-po-sto-lo-rum, et Pro-phe-ta-rum.

In porta autem urbis consueverunt Magistratus illius obviare Legato, vel Prælato primo intranti, ac illum benigne suscipere, et associare, ac baldachinum super eum deferre. Incepta Antiphona, processio, quæ locum habere debet immediate ante crucem Prælati, nisi intersint Canonici Cathedralis Ecclesiæ, Ordine suo progreditur, et cantantur post dictas Antiphonas, seu Responsorioria, alia Cantica, vel Hymni, prout magis placebit, usque ad Ecclesiam majorem, seu principalem loci. Si vero processioni intersint Canonici Ecclesiæ Cathedralis, illi soli possunt ire post crucem. Legati immediate ante eum. Equitantes vero omnes equitare debent ante processionem; togati vero debent Legatum, seu Prælatum sequi. Cum Prælatus, seu Legatus, descenderit, et intrat portam majoris, seu principalis Ecclesiæ, Prælatus Ecclesiæ, seu majorem dignitatem habens, indutus, ut supra, detecto capite offert illi aspersionem

cum aqua benedicta, quod Prælati, seu Legatus accipiens aspergit primo seipsum, deinde alios. Tum idem Prælati Ecclesiæ, seu primam dignitatem habens, offert ei naviculam, aliquo alio Sacerdote superpelliceo induto thuribulum porrigente, et Legatus, seu Prælati imponit incensum, et statim Prælati Ecclesiæ, seu dignitatem habens, incensat ipsum Prælatum, seu Legatum stantem cooperto capite, more consueto. Deinde procedunt ad altare majus Ecclesiæ, et ibi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato procumbit, et orat Prælati, seu Legatus. Interim vero Prælati Ecclesiæ, seu dignitatem majorem habens, stans in cornu Epistolæ altaris versus ad orantem detecto capite, dicit :

Ÿ. Protéctor noster áspice Deus.

Ŕ. Et réspice in fáciem Christi tui.

Cum omnibus sequentibus, si receptus sit Prælati, aut Legatus, Episcopus vel Presbyter Cardinalis: Si vero sit Diaconus Cardinalis, omisso Versu præcedente, dicit sequentes tantum :

Ÿ. Salvum fac servum tuum.

Ŕ. Deus meus, sperántem in te.

Ÿ. Mitte eí, Dómine, auxiliúm de sancto.

Ŕ. Et de Sion tuére eum.

Ÿ. Nihil proficiat inimicus in eo.

Ŕ. Et filius iniquitátis non appónat nocére ei.

Ÿ. Dómine, exáudi oratióem meam.

Ŕ. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Ŕ. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui facis mirabilia magna solus, præténde super hunc fámulum tuum, et cunctas congregatiónes illi commissas, Spiritum grátie

salutáris, et ut in veritáte tibi compláceat, perpétuum ei rorem tuæ benedictiόνis infúnde. Per Christum Dóminum nostrum. Ŕ. Amen.

His dictis, Cantores cantant aliquam Antiphonam eis magis placentem de Sancto Patrono Ecclesiæ cum Versiculo de eodem Sancto. Et cum dicitur Versiculus, surgens Prælati vel Legatus ascendit ad altare, osculaturque illud in medio, deinde procedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ad ipsum altare versus, cantat Orationem de dicto Sancto; deinde ad medium altaris revertitur, ubi stans dat benedictionem solemnem populo, dicens : Sit nomen Dómini benedictum, etc.

Qua data, facit promulgari per unum ex suis, sive ex beneficiatis Ecclesiæ indulgentias, quas ipse interessentibus concedit; deinde Prælati Ecclesiæ, et alii, dimissis paramentis, associant illum usque ad diversorium suum. Cum vero novus Prælati primo ad Ecclesiam suam veniens recipitur, loco Orationis prædictæ Omnipotens sempitérne Deus, etc., dicitur sequens Oratio.

OREMUS.

DEUS, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum **N.** quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo et exémplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi crédito pervéniat sempitérnam. Per Christum Dóminum nostrum. Ŕ. Amen.



ORDO AD VISITANDAS PAROCHIAS.

PONTIFEX visitaturus Diocesim, et Parochias suas, cum ad civitatem seu oppida suæ Diœcesis pervenerit, recipitur processionaliter eo ordine, prout supra in receptione Prælati, seu Legati, dictum est. Hoc solo dempto, quod loco Orationis, **Omnipotens sempitærne Deus, qui facis mirabilia magna, etc., seu Deus ómnium, etc., ipso Prælato ante altare in faldistorio genua flectente, dicitur sequens Oratio:**

OREMUS.

DEUS, humilium visitátor, qui eos patérna dilectióne consoláris, præténde societáti nostræ grátiam tuam; ut per eos, in quibus hábitas, tuum in nobis sentiámus advéntum. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Qua finita, Pontifex surgens ascendit ad altare majus, osculaturque illud in medio, et ibidem populo solemniter benedicit.

Deinde, vel in medio Missæ, versus ad populum sedens proponit populo causas adventus sui, quia sacri Canones, et Ecclesiasticus ordo hoc fieri præcipiunt propter multa.


Primo ad absolvendas animas defunctorum.

Secundo, ut sciat, et videat qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis, qualiter ibi Ecclesiastica Sacramenta ministrantur, et divina officia peraguntur; quale servitium ibi impenditur; qualis sit vita ministrorum, et populi; ut ex officio inquisitionis suæ, per eum, si qua in præmissis corrigenda fuerint, corrigantur, et emendentur.

Tertio ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes, et similia publica in populo punienda, ad quod interdum non sufficiunt Ecclesiarum Rectores; ostendens diligenter populo, quam damnabilia, et detestanda sunt crimina ipsa.

Quarto propter casus, qui de jure, vel consuetudine, ad Episcopum dumtaxat pertinere noscuntur, qui in Constitutionibus synodalibus continentur, in quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi, quod si quis, vel si qua in aliquo ipsorum casuum, vel in quocumque alio, consilio ejus indiguerit, paratus sit benigne audire, et consilium, et absolutionem impendere: ac poenitentiam misericorditer injungere salutarem.

Quinto ad exhibendum Sacramentum Confirmationis, cujus solus Episcopus ordinarius minister est.



Deinde inducit diligenter populum ad poenitentiam, et instruit in Ecclesiasticis Sacramentis, et in Articulis